



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Vtî amans anima ad diuinam vocem, hoc est, internam inspirationem ac illuminatione[m] inardescat. Cap. XXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

tiſſima, auribus & cordibus eorum cum inenarrabili læticia influente. Quid autē dicer hæc vox tua benedicta & benedicens?

Pſal. 31. Quid potius, quam quod ſcriptum eſt: *Venite filij, & audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra?* Et illud: *Comedite amici & bibite, & inebriamini chariſſimi.*

Cant. 5. O dulcem vocem, ad dulce conuiuiū inuitantem amiciffimos ſponſi, qui ſtant tanquam ad obediendum parati, & audiunt eum, & gaudio gaudent propter vocē ſponſi. Loquere iterum atque iterum, immō inceſſanter loquere o ſponſe dulciſſime, facundiſſime: ſonet in auribus meis vox tua clariſſima, omnium vocum Angelorum & humanarum, etiam ipſius dulciſſimæ matris, quantumcūq; nobilem ſonoritatem excellens.

Vti amans anima ad diuinam vocem, hoc eſt, internam inſpirationem ac illuminationem inardescat.

CAPVT XXV.

Cant. 1. **S**onet igitur o Domine, *vox tua in auribus meis*, in auditu cordis mei, formetur in anima mea affectus puriſſimus, ſimilis puriſſimæ vocis tuæ. Loquantur mihi labia tua mellea, mel liquidiffimum diſtillantia, mel ſingulariter melleum, in quo dulcedo exuberat ſingularis, incomparabile illi melli, quod ab aliorum ſanctorum labijs cognoscitur diſtillare.

Cant. 5. Audiam igitur verba labiorum tuorum, quæ ſponſa tua lilia appellat, dicens: *Labia eius, id eſt, ſponſi, ſunt lilia diſtillantia, myrrham primam.* Quam candida, quam benigna, quam dulcia ſunt verba ab his procedentia. O ſi hæc lilia labiorum tuorum ſune. tandem audiam, formantia vocem ipſis ſimilem, cantantia cordi meo carmen amatorium, canticum canticorum, canticum dulciſſimo affectu & perſectiſſimo effectu redundans? Audiam tantum vocem hanc, & ſufficit mihi: audiam eam, & moriar, immō potius ne moriar: *labia enim tua ſunt lilia diſtillantia myrrham primam, id eſt, immortalitatem conferentia.* Hæc etenim tu ipſe de te ſtatas es, dicens: *Siquis ſermonem meum ſeruauerit, non morietur in æternum: immō magis viuor in in æternum, ſicut tu ipſe dixiſti: Verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt.*

Ibidem.

Io. 8. 10.

Ioan. 3.

Cant. 1.

Pſal. 50.

Ioan. 14.

Apoc. 11.

Ioan. 10.

Pſal. 77.

Sap. 16.

Pſal. 302.

Pſal. 27.

Pſal. 50.

Lucæ 1.

Audiam igitur vocem tuam o verbum vitæ, *sonet vox tua in auribus meis*, ut detur auditui meo gaudium & lætitia, & curram poſt vocem hanc donec apprehendam te, & ducar à te in domum patris tui, in qua manſiones multæ ſunt: in quibus tamen qui habitant, idē magis felices ſunt quia habitant in te & tu in illis, quam quia in illis manſionibus habitant, quæ ſunt aliud quam tu. Quid enim voluptatis poteſt habere, quantumcūq; voluptate affluens locus omnis, ſi tu illi loco tuam voluptatem non infundas?

Locus requiei meæ portio mea tu es Domine in terra viuentium, vbi, quamuis viuatur, non tamen viuatur alia vita, niſi te. Reſectio enim ibi viuentium tu ſolus es, pars viue, panis delicate, panis candidiſſime, panis Angelorum, panis habens omne delectamentum, & omnem ſaporem ſuauiſſimis. Te enim, & non alio ſatiabitur deſiderium meum: te comesto renouabitur ut aquilæ iuuentus mea, & reſorſecet caro mea, & exultabunt oſſa humiliata, & exultabit ſpiritus meus in te Deus meus, ſalutaris meus.

Vti